



R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs VIII. De vnione partium componentium essentialiter corpus
naturale.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

verò solam ultimam. Ita Philoponus, Venetus, Ianduntis, Zabarella, & alij antiquorum. Verum hæc sententia videtur damnata in octava Synodo generali, quæ est Constantinopolitana quarta, Canone 11. ibi. *Apparet quosdam in tantum impietatis venisse, ut homines duas animas habere dogmatizent: talis igitur impietatis inuētores, & similes sapientes, cum vetus, & nouum Testamentum, omnesque Ecclesie Patres unam animam rationalem hominem habere asseuerent, sancta, & vniuersalis Synodus anathematizat.* Et ibidem: *neo duas animas esse dicimus in vno homine: sicut Iacobus, & alij Syrorum scribunt; unam animalem, qua animetur corpus, & innista sit corpori: & alteram spiritualem qua rationem ministret: sed dicimus, unam esse eandemque animam in homine, quæ & corpus sua societate viuificet, & semetipsam sua ratione disponat.* Hactenus Concilium.

24 Ab eadem etiam veritate stant August. Damascenus, & Hieronymus apud Patrem Suarez disput. 11. Metaphysica sect. 10. à numero 24. Quos tum ipse, tum etiam Huradus disp. 1. de anima sect. 4. ac plerique nunc Scholastici sequuntur. Præterea: gradus illi diuersi nimirum esse vegetabile, sensibile, & rationale possunt virtualiter tantum distingui, vt in Metaphysica ex professo ostendimus: cur ergo formas realiter distinctas postulent, quibus attribuantur? Rursus varij gradus metaphysici desumuntur à materia etiam ex parte, vt esse, animal, sensibile &c. at materia ob id realiter in composito multiplex non est, nisi ad summum extensiuè: Similiter ergo forma substantialis hominis aut equi v.g. multiplex non erit, nisi ad summum extensiuè. Demum: si pro varietate illa operationum discurrendi, sentiendi, & vegetandi tres animæ in homine essent, sanè infinitæ in eo formæ substantiales realiter distinctæ essent collocandæ: cum operationes specie diuersæ, cognitiones nimirum, volitiones, vicationes, durationes, & actiones, quas efficere potest, sint non tot quin plures, seu synecathegorematice infinitæ.

25 Hucusque argumenta contra naturalem impossibilitatem plurium formarum substantialiū etiam subordinatarum in eadem materia. Porro contra compossibilitatem miraculosam plurium formarum substantialium etiam contrariarum in vna materia obiectis, non posse dari vnus effectus formalis duas causas formales etiam de potentia absoluta: at darētur in nostra sententia: etenim si v.g. forma ignis, & forma ligni forent simul in eadem materia, ignis, & lignum hoc ipso essent vna per se substantia: sed in ea essent plures formæ, seu causæ eius formales: ergo &c.

26 Verum negandum est, tum ignem, & lignum fore vnā per se substantiam, aut naturam: Ad hoc enim oporteret, eorum formas inter se vniri: at non tam inter se, quam cum materia vnirentur; ergo &c. Rursus, etsi vnirentur inter se, nihilominus ad vnus per se naturæ, siue substantiæ compositionem, essent incapaces; propter vtriusque videlicet, complementum, & integritatem in ratione formæ substantialis. Quin etiam affirmari tunc minimè posset, ignis simul est lignum, aut è conuerso. Ideo enim vera est hæc propositio, Deus est homo, & è contrario, quia vnio hypostatica facta est in persona, adeoque rectum hominis, & Dei, nempe persona, est idem: consequenter dicere, Deus est homo, non aliud dictu est, quam persona habens Deitatem est persona habens humanitatem: atqui in præsentī hæc ratio non procedit: vnio namque ligni, & ignis fieret in materia, quæ se sola non est rectum corporis naturalis: proinde, quamuis tum materia ignis esset

materia habens formam ligni, non ob id verum esset, lignum esse ignem, aut è conuerso.



TRACTATUS VIII.

De vnione partium componentium essentialiter corpus naturale.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit vnio physica in communi?



NIO physica est summa communicatio conceptuum realiter distinctorum: siue ea, qua inter conceptus realiter distinctos, maior intercedere nequit. Cuius rei gratia nota, conceptus realiter distinctos multifariam vtrò, citroque communicari posse: etenim causa, qualiscunque sit, vbi ad effectum concurrat ei sese quodammodo communicat; effectusque, participatio causæ, dici consuevit. Deinde omnis res in tempore, & loco existens spatio temporis, & loci sese communicare; & immiscere, illudque intimè replere dicitur. Vterius, & eodem fermè redit, in aceruo lapidum alij aliis aggregantur, & veluti communicantur. Insuper in exercitu, ciuitate, & republica, aut communitate quauis ordinata, quis neget esse quandam communicationem, partium, tum inter se, tum respectu totius communitatis: Rursus voluntas, cum bonum aliquod appetit, in illud fertur, eique se communicat, & affectiuè vnit. Præterea intellectus, vbi obiectum aliquod cognoscit, illud sibi repræsentat, & intentionaliter vnit, ac proinde illi se communicat. Cæterum, quia nulla communicationum istarum summa est, eaque, qua inter res distinctas maior esse nequeat, idè nulla illarum est vnio physica, sed aut virtualis, aut præfentialis, aut aggregationis, aut ordinis, aut affectiua, aut intentionalis, aliæque eiusmodi.

Quò superior definitio vnionis physicæ plus innotescat, aliquæ contra eam difficultates sunt dissoluendæ. Obiectis ergo aduersus illam primò. Vnio inter materiam v. g. & formam substantialem hominis alteriūve animantis est physica, & vera vnio: & tamen non est summa communicatio conceptuum, aut extremorum realiter distinctorum; nam personarum diuinæ realiter distinguuntur, suntque numero tres, vt fide sanctum est: alia verò ex parte communicantur inter se, ac sunt in se inuicem per verissimam circuminfectionem. *Quid distrabis*, inquit Hilarius lib. 3. de Trinitate, *Filium à Patre? vnus sunt*, scilicet is qui est, nihil habens, quod non sit etiam in eo, à quo est. Et Lactan. eius lib. 4. diuin institut. cap. 29. *Quidquid est in Patre ad filium transfudit.* Eodem modo loquuntur alij Patres, & scholastici quos latè refert, & sequitur eruditissimus P. Didacus Ruiz de Trinitate disp. 107.

Tum sic: communicatio diuinarum Personarum est communicatio extremorum realiter distinctorum: atqui est maior communicatio, qnam quæ visitur in materia, & forma substantiali physicè vnitis: personarum namque diuinæ, quantumvis relatiuè distinctæ, communicant in eadem natura, & essentia, cum tamen materia, & forma substantiales vnitæ diuersas nihilominus essentias, ac naturas retineant: ea-

rum ergo vnio physica non est summa communicatio, quæ dari potest inter res realiter distinctas, sed potius aliam maiorem permittit. Respondeo, definitionem nostram ita intelligendam esse, vt vnio physica sit summa communicatio rerum realiter distinctarum, distinctione quidem adæquata & identitatem etiam in tertio excludente: quamuis autem inter personalitates diuinas inadæquatè tantum distinctas, & in tertio identificatas maior hoc ipso detur communicatio; quam ea, vi cuius materia, & forma communicantur inuicem; at inter res realiter adæquatè distinctas, & ne in tertio identitatem habentes maior dari nequaquam potest: proinde vnioni physice materiam, & formam substantialem necienti conueniet apprimè, definitio vnionis à nobis tradita.

4 Obiicies contrà eam secundò, vnionem hypostaticam esse communicationem extremorum realiter etiam adæquatè distinctorum, nempe humanitatis, & Verbi diuini; & esse maiorem quauis alia communicatione, qua vel materia formæ substantiali, vel hæc accidenti, vel vna pars materiæ, formæ substantialis, aut formæ accidentalis, alteri comparti communicatur: Ita Bernard. lib. 5. considerat. ad Eugen. vbi sic loquitur; *Verum hæc omnia* (scilicet genera vnionum creatarum, quarum mentionem fecerat) *quid ad illud summum, atque, vt ita dicam, vnicè vnum, vbi unitatem consubstantialitatis facit? huic vni quoduis illorum si affimiles, erit quoquo modo vnum, si compares, nullo. Igitur inter omnia, quæ rectè vnum dicuntur arcem tenet, unitas Trinitatis, qua tres personæ vna substantia sunt: secundo loco illa præcellit, qua è conuerso tres substantie vna in Christo persona sunt.* En docet, non solum communicationem diuinarum personarum esse maiorem quauis alia creata, vt superius positum est, sed etiam communicationem factam vi vnionis hypostaticæ superiorem esse, ac maiorem quacunque alia facta per cæteras vniones: aut ergo cæterarum vnionum nulla est propriè vnio; quo, quid magis absurdum? aut vnio vt sic non benè definitur summa communicatio, &c. cum vnio materiæ v. g. & formæ sit vnio physica, & vera, & tamen non sit summa communicatio, de qua supra; eo quod communicatio facta per vnionem sit ea, vt dictum est, longè maior.

5 Respondeo, sermonem nobis esse in nostra definitione de communicatione summa ex parte modi communicandi, non verò ex parte rei communicatæ: at vnio materiæ, & formæ, aliorumque extremorum est summa ex parte modi communicandi, & non minor communicatione facta per vnionem hypostaticam, cum hæc non intimius sua vniat, & communicet inuicem extrema, quam facit vnio, quæ reperitur inter materiam, & formam, similiaque extrema; solumque vnio hypostatica dicitur esse maior communicatio, quam alia vlla creata; maior, inquam, ex parte rei communicatæ, quia maius bonum communicat, vt docet B. Thomas opuscul. 6. & 3. p. qu. 1. art. 1. corp. & Alensis 3. p. qu. 2. membro 3. pluresque alij Theologi. Quæ cum ita sint, excellētia vnionis hypostaticæ, cuiusque in ratione communicationis maxima perfectio haud tollet, quominus vnionum inferiorum quæcunque dici etiam possit quodammodo summa communicatio, sicut ad nostram vnionis definitionem partici pandam oportet.

6 Contra quam obiicies tertio. Vnio continuatiua duorum extremorum in locis contiguis, sed tamen diuersis, existentium est vera vnio: & tamen non summa communicatio eorum extremorum, sed potius

minor ea communicatione, qua communicantur inuicem extrema penetratiue vnita, & in eodem loco vi vnionis existentia: ergo, &c. Respondeo, definitionem nostram sumendam esse cum distributione accommodata, non verò absolute: vt eius sensus sit, vnionem extremorum in locis diuersis existentium esse summam, quæ dari potest inter extrema, quibus debentur, continguntque diuersa loca: & vnionem extremorum in eodem loco existentium esse maximam, quæ reperiri potest inter extrema in eodem loco penetrata: hoc autem pacto optimè defendi potest, vnionem continuatiuam esse summam communicationem extremorum realiter distinctorum, vt expendenti perspicuum erit.

7 Obiicies denique quarto. Modus (v. g. vbicatio, vt aliqui putant) magis communicatur rei, cuius est modus, quam forma substantialis, materiæ primæ: harum ergo vnio haud erit summa communicatio extremorum realiter distinctorum: & sic huiusmodi definitio vnionis est nulla. Antecedens probatur, quia modus inseparabiliter vnitur rei modificatæ: forma autem substantialis separabiliter: ergo &c. Respondeo, sicut ad præcedentem obiectionem, si definitio nostra distribuatur accommodatè, conuenire eam possit vnioni inter res absolutas, estd harum, dum vniuntur, minor sit communicatio, quam rei, & modi. Quid enim? si, vt dictum est, definitionis sensus sit, vnionem inter res absolutas esse summam communicationem, quæ dari potest inter res absolutas: & vnionem inter res non absolutas, sed modalem vniam, alteramque absolutam, esse quidem summam communicationem, quæ reperitur inter extrema eius generis.

8 Aut paulò aliter dico, definitionem nostram virtute esse talem: vnio est summa communicatio conceptuum realiter absolute distinctorum: id est, qua inueniri nequit inter extrema realiter absolute distincta. Definitio autem ita intellecta conuenit vnioni inter materiam, & formam, aliaque extrema similia: patet enim, quod ita communicentur, vt non possit dari maior communicatio inter conceptus distinctos realiter absolute, quamuis fortè dari possit maior inter conceptus, qui nonnisi realiter, modaliter distinguuntur. A fortiori etiam ea definitio verificatur de vnione inter rem, & modum: quid enim exploratius, quam ita vtrumque communicari, vt nullæ duæ res absolutæ, siue realiter absolute distinctæ magis communicentur inuicem?

CAPVT II.

De nonnullis attributis vnionis physice: de quæ aliis eius definienda modis.

9 IN primis de ratione vnionis physice est, vt sit intrinseca cuius extremi vnito: siquidem communicatio summa eo ipso intrinseca esse debet: aliàs, si extrinseca esset, sanè non summa, sed infra summam, & intrinsecam esset: at omnis vnio physica summè communicatur cui libet extremo vnito, & ita, vt inter res distinctas nequeat esse maior communicatio. Recentiores nonnulli oppositum defendunt; asseruntque vnionem hypostaticam esse intrinsecam humanitati, extrinsecam vero verbo: eo quod vnio illud extremum, cui intrinseca est, vel ratione sui, vel ratione alterius extremi formaliter perficiat, illudque melius, aut deterius se habere efficiat: at verbum diuinum ratione vnionis hypostaticæ, extremique creati per

per eam vniti nec melius, nec deterius se habet & nec perficitur, nec imperfectione vlla afficitur: Vnde, &c.

10 Displacent tamen. Primò, quia terminatio libera, qua Deus Antichristum v.g. odio prosequitur, ea, inquam, Deo iuxta aduersarios intrinseca est: quippe iuxta illos Deo adæquatè identificatur: quid autem alicui magis intrinsecum, quam quod ei est identificatum: sed ea terminatio libera de eorundem contrariorum sententia Deum non perficit, nec formaliter perfectionem vllam, qua perficere possit, importat: quamvis igitur vnio hypostatica Verbum non perficiat, ei tamen poterit esse intrinsecum. Deinde carentia quævis sibi intrinseca est: vt pote quæ sibi ipse strictè identificatur: sed autem non perficit, cum omni perfectione, & entitate destituatur. Rursus humanitas assumpta à Verbo ei intrinseca est: aliàs esse hominem denominatio extrinseca esset, quo quid absurdius? At humanitas Verbum non perficit.

11 Secundò, de ratione vnionis physica est, vt, si informatiua sit, per eam vnum extremum in loco alterius sit; & si continuatiua sit, vt per eam vnum sit in loco alteri immediato, & contiguo: quod aded certum est, vt proponi magis, quam probari debeat: quis enim credat, animam in cælis existentem vniri posse corpori in terris existenti, aut caput hic existens continuari posse trunco Romæ iacenti? Cæterum non est de ratione vnionis informatiua, vt vnum extremum sit in loco adæquato alterius, sed vel adæquato: quævis enim pars corporis animæ rationali vnitur: in eius tamen loco adæquato non est, aliàs cum aliis partibus corporeis contra conceptum corporis penetraretur: & anima etiam Christi Domini Verbo vnitur; in eius tamen spatio adæquato non est, aliàs omne omnino spatium loci occuparet. Deinde hæc penetratio localis ita de ratione vnionis informatiua est, vt altera, sine altera interdum reperitur, vt in tribus personis diuinis penetratis, & informatiue non vnitis cernere est. Deus etiam, & creatura quævis in eodem loco saltem inadæquato necessaria ratione existunt, quin tamen vllatenus vniantur. Neque non etiam materia, & forma vnita diuinitus absolui possunt ab omni loco: tum autem absque penetratione vnirentur inuicem.

12 Tertiò, de ratione vnionis informatiua est, vt quoties vnum extremum à loco adæquato, quem antea occupabat, mouetur, eo ipso aliud etiam moueatur; & de ratione vnionis continuatiua, vt quoties vnum extremum à loco alteri immediato mouetur, aliud etiam moueatur: alioqui certè extrema vnita nec in eodem loco, nec in locis contiguis esse deberent. Cæterum nec de ratione vnionis informatiua, aut continuatiua est, vt moto quomodolibet vno extremo, alterum absolute moueatur. Namque anima rationalis mouetur in pede, quin tamen caput, cui vnitur, ob id moueri debeat. Humanitas etiam Christi domini mouetur absque eo, quod Verbum, à quo assumpta est, moueri possit, aut debeat: tum etiam brachia, & pedes mouentur, quin propterea reliquum corpus, cui vniantur, moueri oporteat. Ac denique rota perfectè spherica circulariter agitari potest quoad omnes eius peripherias, sine eo quod eius centrum, siue punctum medium subire debeat motum, aut agitationem vllam. Enimvero hoc quod est postulare, vt moto vno extremo extra locum adæquatum, aliud subinde moueatur, aliis ab vnione conuenit, nimirum decreto efficaci, quo Deus id decerneret, aut reuelationi, quo id auctenturum alicui patefaceret.

Quartò demum, de ratione vnionis est, vt si vnum extremorum in duplici loco adæquato diuinitus collocetur, aliud etiam vi vnionis vtroque ponatur. Quod ex mysterio Eucharistia dilucidè constat: siquidem vi verborum consecrationis panis solum corpus Christi in duobus locis adæquatis collocatur, seu, quod perinde est, in loco adæquato extra eum quem naturaliter occupat: at consecrato pane simul cum corpore Christi Domini, etiam eius sanguis, & anima in duobus illis locis adæquatis collocatur: id igitur ratione vnionis physica inter corpus Christi, & eius animam, sanguinemque, siue, vt loquuntur Theologi, per concomitantiam euenit. Porro regula prædicta intelligenda est cum hac moderatione, nisi scilicet aliquod extremorum, quæ vniantur, alicui loco illigatum essentialiter sit: quo pacto vbicatio celestis corporis Christi, quantumlibet ei vnita, sub speciebus tamen panis non collocetur.

14 Ex quartò vnionis attributo iam iam explicato rationem colligunt nonnulli Recentiores, cur vnio hypostatica Verbum non perficiat, neque compleat: quia nimirum vt vnio perficiat vtrumque extremum, necesse est, vt eo collocato in duplici loco adæquato vnio etiam ibidem ponatur: Verbum autem in pluribus locis adæquatis est in quibus non est vnio hypostatica. Cæterum hæc ratio mihi nunquam placere potuit: nam aut sermo est de pluribus locis, quorum alteruter Verbo inadæquatus, & vnioni adæquatus sit: & ita ratio nulla est: siquidem anima rationalis est in pluribus locis, quorum quilibet ipsimet animæ inadæquatus est, & manui, v. gratia, adæquatus, quin tamen manus in iis ratione vnionis collocetur: at hoc non obstante manus animam perficit; similiter ergo in præsentia, &c. aut sermo est de locis, quorum quibus non solum vnioni, verum etiam ipsi Verbo adæquatus sit: & ita res de se certissima, & clarissima, cuiusmodi est verbum suapte natura minimè perfectibile ratione vnionis non perfici, per euentum impossibilem, ac doctrinam omnino falsam explicatur.

15 Impossibilitas quidem eius euentus ostenditur: quia ne diuinitus fieri potest, vt Verbum in pluribus locis sibi adæquatis existat, eo quod non nisi tota immensitas imaginaria, & latitudo illa intermina locus adæquatus verbo sit: aliud autem imaginarium veluti chaos à præsentia distinctum repugnat. Falsitas verò doctrinæ illius patet: quia, sicut collocato corpore Christi in duplici loco adæquato vtroque per concomitantiam ponitur Verbum, vt omnes Theologi docent, ita verisimilius est, si per impossibile Verbum in alio loco sibi adæquato locaretur, animam Christi in aliqua eiusdem loci parte positum iri: id enim natura vnionis postulare videtur. Ratio ergo, cur vnio hypostatica Verbum non perficit non est ea quam Recentiores adducunt, sed quia Verbum eius denominationis incapax est, & merito suæ infinitatis omnino imperfectibile, vt nuncunciebam. Illud autem animaduertim, exigentiam superius quarto loco explicatam peculiarem non esse soli vnioni: quin imò reuelatio aliqua eam habere potest, necnon, iuxta aliquos, actio, qua Christus Dominus Eucharistica sustentat accidentia.

16 Ex dictis toto hoc capite colligitur, in primis falsam esse sententiam illorum, qui vnionis essentiam in eo collocant, quod sit communicatio intrinseca. Tum, quia quævis res sibi per identitatem communicatur intrinsece: at nulla res sibi ipsi vniri potest vnione compositionis, aut quasi compositionis, de qua sola loquimur in præsentia. Tum etiam, quia Recentiores hi communicationem illam docent intrinsecam

secam esse, per quam aliquid naturaliter completur, ac perficitur: quare non esse de ratione vnionis, vt vtrique, sed vt vel vtrique, vel alteri sit intrinseca. Quod tamen suprà latè impugnauit.

Colligitur secundo, perperam ab aliis explicari ac definiri vnionem, per hoc, quod ratione illius vnum extremum sit in loco alterius, vel in loco alteri contiguo: ab aliis verò, per hoc, quod moto vno extremo moueatur aliud: ab aliis demum, per hoc, quod collocato vno extremo diuinitus in duplici loco, ibidem collocetur alterum. Tum quia hæc & similia aliis ab vnione conueniunt: tum quia omni vnioni non conueniunt; ei nimirum, qua vnirentur extrema absoluta ab omni loco: tum demum, quia vnionis proprietates sunt, non verò essentia: aliàs respectus ad locum foret essentia hominis verbi gratia, quidquid enim est de essentia vnionis humanæ, & est de essentia hominis: vnde vltèrius à pari fieret respectus ad locum esse Deo essentiali, cum tamen Theologis nihil celebrius sit, quam respectus ad locum, siue immensitatem esse tantum proprietatem diuinæ naturæ.

CAPVT III.

An vnio physica ab extremis realiter distinguatur?

- 17 Prima sententia negat. Ita Caietanus 3. part. q. 2. art. 8. Valentia tom. 4. disp. 1. quæst. 2. punct. 5. Conimbr. lib. 1. phys. cap. 9. quæst. 11. art. 2. & communiter Nominales. Idemque docet esse probabile Lorca de incarnat. disputatione 13. Secunda sententia affirmat distinctionem realem vnionis physicae ab extremis. Ita Suarez tom. 1. metaph. disp. 3. sect. 9. Vasquez tom. 1. in 3. parte disp. 18. cap. 1. Hurtado, Arriaga, & Chrysostomus Caberus, communiterque Recentiores. Quorum opinio magis communis, magisque vera est. Quod sic probo.
- 18 Possunt existere simul, & semel materia, & forma, quin physice vniantur, vt cernere est, cum mortuo homine, eius materia, & forma seiunctæ coexistunt: materiam igitur vniri formæ est aliquid realiter ab vtraque distinctum; siquidem separabilitas realis vbi-cumque certissima index est realis distinctionis. Porro hæc distinctio realis (vt hoc obiter animaduertam) nequit esse realis absoluta, siue rei à re, aliàs vnio per aliam vnionem, & illa alia per aliam, & sic in infinitum vniri deberet: quippe quælibet esset adeo indifferens ad extrema, sicut hæc adinuicem, vtpotè res absoluta: ea ergo distinctio realis modalis, siue rei à modo est, ac proinde vnio non est indistincta ab extremis, sed potius modus est eius realiter superadditus.
- 19 Respondent primò aduersariorum aliqui, non posse reperiri materiam dispositam ad formam, cum ea-que penetratam absque eo, quod vniantur: quare vnionem vtriusque non esse modum superadditum. Sed in materia, & forma simul sumptis, ac penetratis, earumque dispositionibus consistere. Contrà tamen sic argumentor. Humanitas Petri verbi gratia, & Verbum simul existunt, penetranturque: & humanitas Petri æquè disposita est ad vnionem cum Verbo, ac humanitas ab eo assumpta, cum neutra qualitates vllas vnionem hypostaticam naturaliter postulant pro priori ad illam sortiantur, sed potius vtriusque dispositio in mera ad eam non repugnantia solum consistat, & tamen humanitas Petri Verbo vnita non

est: vnio igitur hypostatica in Verbo, & humanitate penetratis, dispositionibusve vllis minimè potest consistere.

Deinde si humanitas Petri cum humanitate Pauli diuinitus penetraretur, adhuc tamen inter se non vnirentur, nec materia vnus alterius formam intrinsecè susciperet: atqui in eo euentu forma Petri cum materia Pauli non solum penetrata esset, sed etiam hæc ad illam disposita foret; siquidem esset disposita ad formam ipsius Pauli, ac proinde & ad formam Petri: quæ enim formæ sunt eiusdem speciei, eadem etiam dispositiones postulant: vnio igitur in materia, & forma inuicem penetratis, & dispositis nequit collocari. Nec dici potest, vltèrius requiri ad vnionem carentiam vnionis cum alia forma, & defectu eius carentiæ formam Petri cum materia Pauli in præfato euentu minimè vniri: tum quia per carentiam vnionis, vnio malè explicatur, & potius carètia vnionis per vnionis existentiam, entitatemvè explicanda est: tum etiam quia eadem forma duplici materiæ adæquatæ simul vniri potest: vnio igitur formæ cum materia carentiam vnionis cum alia minimè includit.

Respondent secundo aduersarij, vnionem formæ, 21 & materiæ præter vtriusque existentiam, penetrationem, ac mutuam dispositionem vltèrius inuoluere, decretum aliquod diuinæ voluntatis quo eas vniri faciat, ac decernat. Verum hoc decreti, quod, quæso, obiectum habet? Vbi enim materiam, & formam vniri vult, sanè haud vult præcisè materiam, & formam etiam penetratas ac dispositas existere, cum hæc omnia absque eo quod vniantur reperiri possint; ea igitur volitio seipsam vult: hæc autem reflexio diuinæ volitionis supra se, quamuis admittatur, præsentem tamen instituto non video quid deseruire possit? Aut cur ex eo, quod Deus habeat voluntatem respondentem his vocibus: *Volo meipsam*, &c. Consequens illico sit, vt vniantur inuicem materia, & forma, ad quas ea voluntas ex parte terminatur. Præterea vnio materiæ, & formæ vtrique intrinseca est; aliàs quo pacto per eam materia formam intrinsecè reciperet: aut hæc illam intrinsecè informaret. At volitio Dei materiæ, & formæ intrinseca non est, vt certo certius. Aut paulò aliter: vnio est de conceptu essentiali hominis: volitio autem Dei de conceptu essentiali hominis non est, aliàs homo perfectione Deum quādamtenus æquaret: sicut Christus, quantumuis homo, Deo tamen æqualis est, quatenus scilicet prædicatum aliquod Deo idem includit.

Respondent tertio alij, posse supernaturaliter ma- 22 teriam, & formam vniri physice absque modo superaddito, qui seipso vnio sit. Pro quo supponunt, possibilem esse entitatem quandam absolutam eius naturæ, vt non existente materia, & forma, aut alterutra earum, possit existere, quin eas vniat, fieri tamen diuinitus non posse, vt materia, & forma, & entitas illa absoluta in vlla temporis differentia existat, aut à Deo producantur, quin simul existant, & physice vniantur: quare in aggregato materiæ, & formæ, eiusque entitatis absoluta seorsim à quouis modo superaddito vnionem materiæ, & formæ consistere posse.

Quamuis in prædicta vnione non modali, sed ab- 23 soluta claram vllam repugnantiam non inueniam, probabilius tamen est, eam repugnare. Nam in primis homo duabus tantum partibus constare potest in quacumque rerum serie, vt omnes supponunt; vtque colligitur ex illo Athanasij in Symbolo, *sicut anima rationalis, & caro vnus est homo*, &c. Atqui data illa vnione

vnione absoluta homo non duabus, sed tribus partibus constaret, nimirum materia, & forma, & entitate illa absoluta; quæ cum non minus absoluta, nec magis modalis sit, quam materia, aut forma, certe non est, cur minus pars hominis, quam alterutra earum dici debeat.

24 Rursum argumentor ad homines; quia aduersarij non concedunt parietem etiam diuinitus album fieri posse absque qualitate, quæ seipsa albedo sit; neque, quod perinde est, possibilem admittunt qualitatem, quæ non per seipsam, tanquam per adæquatam formam, parietem album denominet, sed potius, per seipsam, & substantiam parietis, tanquam per formam adæquatam, & totalem, id tribuat denominationis. At quod hoc consequens sequatur, ita contra Recentiores ostendo: sicut paries de facto denominatur albus per qualitatem, quæ seipsa sola albedo sit, ita de facto materia vnitur formæ per modum, qui se solo vnio sit: sed hoc non obstante materia diuinitus vniri potest formæ per entitatem absolutam, quæ se sola vnio non sit, vt putant ij, quibus eum disputamus. Similiter ergo in præfenti, &c.

25 Contra modalitatem vnionis ex suppositione, quod distinguatur realiter ab extremis, nulla sunt vilius momenti argumenta. Ceterum contra vnionis realem distinctionem ab extremis arguit primò Nominales, ac quidam Thomistæ. Vnio illa à materia, & forma realiter distincta vnitur materiæ: at non per aliam vnionem superadditam: aliàs huic superaddi deberet alia, & sic in infinitum: Similiter ergo materia, & forma vniri possunt absque vnione distincta, & si possunt, debent, ne scilicet, sine necessitate multiplicentur entitates. Deinde materia immediatè vnitur formæ: quod si medià vnione realiter distincta ei vniretur, sanè non nisi mediatè ei esset vnita.

26 Ad primum horum respondeo, modum illum vnionis, qui intericitur inter materiam, & formam nec diuinitus existere posse, quin ambas, & sibi quatenus ab eis distinguitur, & inter se inuicem vniant: vnde mirum non esse, si se solo, & absque præsidio alterius modi distincti materiæ vniantur: quæ ratio in materia, & forma non militat, cum simul existere possint absque eo quod vniantur. Ad secundum dico, materiam vniri immediatè formæ, quia inter vtrumque nihil mediæ absolutum, vi cuius vniantur, (sicut inter caput & pedes mediatur corpus, in quo vniantur, quæ ob id mediatur tantum vniantur,) sed tantum quid modale, habens se præcisè tanquam ratio vniendi. Sic facultas intellectiua & voluntas immediatè cognoscere, & amare dicuntur, esto inter illos, & earum obiecta cognitio, & amor mediant, videlicet, quia nisi tanquam ratio cognoscendi, & amandi ita non mediant. Aliis exemplis breuitatis causa supersedeo.

C A P V T IV.

An vnio neccens partes essentielles corporis naturalis sit vna simplexque, vel potius multiplex?

27 Vnionem formæ substantialis cum materia simplicem realiter esse, & ex duabus realiter distinctis minimè compositam existimant P. Sitar. disp. 13. Metaph. sect. 9. n. 15. Valq. de incarnat. tom. 1. q. 2. art. 3. d. 1. q. 2. n. 24. Arriaga disp. 4. phys. sect. 2. subf. 3. & Rubius l. 1. phys. tract. 2. q. 6. n. 66. ac Chrysostomus Cabero tract. 1. phys. dub. 2. disp. 5. Baltaz. Tellez disp. 2. 5. Physic. sect. 2. conclus. 2. Bernard. disp. 1. 1.

de incarn. sect. 5. n. 50. ac Compton. disp. 14. physic. sect. 6. plerique Recentiores, & antiqui. Quorum sententiam quoad præcipuum quæstionis punctum sequor; quoad nonnulla tamen ab iis dissensurus, & cum Authoribus contrariæ opinionis consensurus. Quid ergo arbitrer, quatuor assertionibus expono.

Quarum prima sit. Materializatio ne diuinitus ab informatione potest realiter distingui. Materializatio est vnio, quæ materia formæ vnitur, eamque intrinsecè recipit; informatio est vnio, quæ forma vnitur materiæ, eamque intrinsecè informat: has autem nec de potentia absoluta realiter distinctas inueniri posse, in hunc modum suadeo. Per eandem realiter vnionem, per quam materia vnitur formæ, non potest forma etiam diuinitus materiæ vicissim non vniri: vnio ergo materiæ cum formæ, siue materializatio ne potest distingui realiter ab vnione formæ cum materia, quæ informatio dici consuevit. Antecedens probatur; quia idem realiter est materiam vniri formæ, ac formam vniri materiæ, sicut idem realiter est me verbi gratia, amare obiectum, eique affectiue vniri, ac obiectum amari à me, mihi que affectiue vniri, vt lumine naturæ manifestum est; at materiam vniri formæ, formamque materiæ non est realiter idem pro materiali, cum vtriusque denominationis diuersum materiale sit, materia nimirum & forma; ergo est idem realiter pro formali, siue penes formam modalem, beneficio cuius materia formæ, & forma materiæ vnitur.

At dices, per eandem vnionem, per quam materia intrinsecè vnitur formæ, formam etiam vniri materiæ; ceterum non intrinsecè, sed extrinsecè; haud secus ac per eandem formam voluntas intrinsecè obiectum amat, & obiectum extrinsecè ab ea amatur: quare necessarium esse aliam vnionem realiter distinctam, per quam forma materiæ intrinsecè vniantur: quæ, cum informatio sit, sicut & vnio materiæ intrinsecè materializatio, sanè informatio à materializatione realiter distinguetur. Contra tamen sic argumentor: quia vnio debet esse intrinseca ei, cui physicè vnitur, vt supra c. 2. ostendi: at materializatio formæ physicè vnitur, aliàs vtrumque extremum minimè vnitura: ergo est intrinseca formæ, ac proinde informatio. Confirmatur, & declaratur: si qua de causa materializatio non esset intrinseca formæ, maxime quia in ea non recipitur, nec eam perficit; quod autem hæc ratio non obstat, declaratum est citato c. 1. & quamuis obstat, id obstaculi facillè potest repelli dicendo, vt statim dicetur, materializationem, etiam in forma recipi, eamque perficere necessariò debere.

Secunda assertio sit. Materializatio, & informatio virtualiter intrinsecè distingui debent, ita vt oppositum nec diuinitus possit accidere. Probatur, quia si materializatio etiam virtualiter intrinsecè esset informatio, sanè idem omnino esset materializare, & informare: quare materia formam materializans seu recipiens, eam informaret; & forma materiam informans, eam materializaret, seu reciperet: quæ ratio quia cognitio virtualiter intrinsecè representatio est, fieri nequit, quin quidquid cognoscit, id ipsum repræsentet, & è conuerso. Præterea (quod absurdius est) si materializatio, & informatio nec virtualiter distinguuntur, materia seipsam recipiet, & materializabit, ac forma seipsam informabit: siquidem materializatio, & informatio in opposita sententia eas ne virtualiter distinguente idem fundamentum, eundemque terminum fortiri debent: quare materializatio habebit pro termino materiam, sicut informatio eam pro termino fortitur: atqui materia per materializationem necessariò

fariò materializat, seu recipit terminum materializationis; sicut intellectus per cognitionem cognoscit: materia ergo se ipsam materializabit, seu recipiet: atque hac eadem ratione concludi potest, quod forma, in aduersariorum principiis, semetipsam debeat informare.

31 Ex his, quæ vnioni essentialia sunt, facile colligi potest, quo pacto existat, & quid de ea sit de facto dicendum. Quare tertia assertio sit. Vnio compositi substantialis de facto simplex, & vna est in corpore quouis naturali, non verò realiter composita, & multiplex. Probatur primò, quia si esset realiter multiplex, sanè vna esset solum informatio, & alia solum materializatio, vt omnes aduersarij fatentur: sed informatio, & materializatio realiter alia, & alia vnio esse nequit, vt assertione prima demonstratum manet: quocirca qui duplicem vnionem in composito substantiali adstruunt, eo ipso duas informationes, dualq; materializationes absurdissime inuehūt, cum quæuis vnio duarum quas ponūt, simul sit informatio, simulque materializatio.

32 Rursus probatur assertio illa tertia. Si vnio compositi substantialis esset realiter multiplex, certè altera vni tantum extremo intrinseca esset, altera alij: altera item in vno tantum extremo reciperetur, & altera in alio: neque non altera vnum tantum perficeret extremum, altera verò aliud: at hoc planè impossibile est: ergo, &c. Maior est aduersariorum. Minor probatur: quia quæuis vnio alterutri extremo intrinseca non esse non potest, vt supra ostensum. Quæuis etiam in alterutro extremo recipi debet: ideo enim forma materialis in materia recipitur, quia ita ei annexa est, eaque necessitate illam perficit, vt sine illa naturaliter esse, aut conseruari nequeat.

33 Quod quæuis etiam vnio earum, quas asserunt aduersarij, vtrumque extremum perficere debeat, ita suadet. Vnio perficit extremum, in quo recipitur, vt vel iis, quibus cum disputamus, solemne est: at in vtroque extremo quæuis earum vnionum necessariò recipitur, vt proximè supra perstrinxi. Ad hoc vnio perficere potest extremum, in quo nullatenus recipitur, si non recipi potis est: quamuis ergo quæuis vnionum compositi substantialis in vtroque eius extremo non recipiatur, vtrumque tamen perficiet. Antecedens suadet primò: quia Verbum humanitatem, in qua non recipitur, siue à qua in genere causæ materialis non causatur, nec potest, infinite perficit. Secundò: quia anima rationalis materiam, à qua materialiter non dependet, adhuc complet, & perficit. Tertiò: quia quæuis forma per materiam perficitur, cum tamen ab ea recipi nequeat: nihil ergo falsius, quam vnionem perficere non posse id extremum, in quo non recipitur.

34 Respondebis cum P. Hurtado, vt aliquid perficiat, compleatque aliud, necesse esse, vt immediate, vel saltem mediata siue media vnione sui in alio recipiatur; nec oppositum ex proximè recensitis euincit: siquidem vnio Verbi in humanitate, vniòque animæ rationalis in materia, & huius vnio in forma sustentatur: vnio autem in extremo, in quo non recipitur immediate, nec poterit mediata recipi, propterea quod inter vnionem, & extremum vnitum nihil mediet: vnde vnio extremum, à quo immediate non educitur, nullo modo perficiet.

35 Hæc tamen euasio facile præcludi potest: etenim primò Verbum humanitatem perficit; nec mirum, cum vnio Verbi, sine qua Verbum etiam naturaliter esse potuit, in humanitate sustentetur: à fortiori ergo materializatio formam perficiet, cum informatio, sine qua materializatio ne diuinitus esse potest, in forma

sustentetur. Secundò ad homines: vnio hominis de plurium aduersariorum sententia miraculose creari potest: at eo in euentu forma hominis materiam, & & materia formam complerent, perficerentque: ad id igitur, vt vnum extremum aliud compleat, ac perficiat, necessarium non est, vt in illo etiam mediata, siue media vnione sustentetur. Maior probatur: quia in ea hypothesi ex materia, & forma coalesceret homo, quod inintelligibile est absque eo, quod partes hominis sese inuicem compleant, & perficiant: quia enim ratione fieri potest, vt materia prima suapte natura non magis homo, quam lapis ab anima tamen rationali fortiatur, quod homo sit, quin ab ea perficiatur? Aut quid est, materiam per animam rationalem compleri, & è diuerso, quam ex vtroque hominem coalescere? Aut cur alioqui anima sciens, & volens denominari nequeat volitione, & scientia, per quas sibi vnitas non perficitur.

Adice, quod creatio, quæ, iuxta plures aduersarios, 36 est modus intrinsecus rei creatæ, hoc ipso eam perficiat: aliàs forma aliqua accidentaliter esset, quæ nihil posset intrinsecè perficere: quo quid magis ridiculum? At creatio in re creatæ, nec mediata, nec immediate sustentatur: non mediata, quia supponitur modus: non immediate, quia aliàs esset prior, & posterior, quam res creatæ. Tandem essentia diuina relationes diuinas, vt fert verior, communiorque Theologorum opinio, infinite quidem perficit: at in iis verè non recipitur, nec ab illis materialiter causatur: id enim esset, aliquid in se ipso recipi; & etiam in Deo admitti potentialitatem: similiter ergo in creatis ad perfectionem vnus extremi per aliud haud opus est, vnum in alio recipi.

Vterius principaliter probatur tertia assertio nostra, in hunc modum. Si vnio hominis foret realiter duplex, altera sanè esset spiritalis, altera materialis, vt omnes fatentur aduersarij: sed nulla vnio hominis omnino spiritalis esse potest: ergo, &c. Id suadet: tum, quia quidquid recipitur in materia, materiale eo ipso est: atqui nulla vnio humana est, quæ in vtroque extremo, atque aded in materia recipi non debeat: tum etiam, quia esto vnio aliqua hominis permittatur recipi in sola eius forma, adhuc materialis esse debet: primò, quia materiæ ita intrinsecè annexa est, vt sine ea esse, aut conseruari nequeat: materialis ergo est; haud aliter ac forma equi eodem nomine materialis censetur: secundò, quia creatio materiæ, si forte modus eius intrinsecus est, nequit non esse materialis: & tamen in materia non recipitur, neque inhaeret, sed solum adhæret; quamuis igitur vnio aliqua hominis, nimirum informatio, dicatur solum adhære materiæ, in eaque minimè sustentari, nihilominus esse poterit materialis.

Enimvero dices cum P. Hurtado, conceptum rei 38 omnino materialis in eo consistere, quod partes inuicem distinctas, extensalesque fortiatur, quibus cum informatio careat, mirum non esse, si, quantumuis materia fixa sit, tamen non materialis, sed prorsus spiritalis censetur. Verum esto admittamus, conceptum rei materialis, & eius à spiritu distinctionem sitam esse in extensione partium, adhuc vnio animæ rationalis cum materia, siue informatio, materialis esse poterit: siquidem partibus extensis, & quarum aliæ extra aliàs sint, necessario gaudet. Quod sic ostendo. Primò quia aliàs cum vi caloris naturalis aliqua particula materiæ deperditur, tota vnio se tenens ex parte animæ deperderetur, nec cum partibus, quas homo retinet, eadem vnione qua antea, vniretur anima, sed potius diuersa; hæcque diuersitas & mutatio singulis momentis

momentis contingeret, cum per omnia momenta, hominis materia dispendium aliquod patitur.

39 Aliter etiam ostēdi potest, ac probari id ipsum: quia pro priori naturā, quo anima intelligitur potens ad actionem nutritiā, etiā intelligitur vnita materiā, materiāque intrinsecē informans: neque non pro postēriori naturā intelligitur alia vnio animā cum materia, siue alia informatio per nutritionem producta: quandoquidem ergo prius, & postērius naturā in eodem instanti reali semper continentur, sane homo necessariō gaudet, simul, vt aiunt, & semel duplici informatione: ac proinde hāc in homine non minus quā in ceteris animantibus extensionem partium sortitur. Antecedens perspicuum est: nam pro illo priori anima est perfectē vnita corpori: sicut enim exercere nō potest nutritionem, nisi vt vnita, ita similiter nisi vt perfectē vnita: sed anima cum corpore non nisi per materializationem & informationem perfectē, & completē vnitur; ambæ ergo, & non vna sola pro priori ad actionem nutritiā præsупponuntur: quo pacto, si homo duplici substantia inadequata polleret, neutra se sola hominem constitueret expeditum ad operandum, sed potius ambe pro priori ad operationes hominis necessariō intelligerentur. Aliam porro informationem existere pro postēriori ad nutritionem, per eāque ab anima produci, tam certum est, quam quod anima partibus nutritione acquisitis perfectē vnitur.

40 At dices iterum cum eodem P. Hurt, vbi infra, vnionem spiritualem hominis aliquibus partibus cōstare, nec quouis momēto totā mutari, quia in homine sunt plura minima naturalia, hoc est, plures partes, quarum singulæ sufficiunt, & requiruntur, ad hoc vt anima corpori possit infundi: pro numero ergo harum partium, siue minimorum naturalium multiplicatur in homine vniones spirituales: quæ quidē spirituales esse possunt, eo quod neque inter se vniantur, nec tot sint, quot sunt partes materiæ quas respiciunt, sicut eueniret, si materiales forent: quo fit, vt vnio spiritualis extēsiōe partium vnitarū destituta sit: ex alia verō parte anima rationalis pro priori naturā ad actionem nutritiā per informationem, & materializationem perfectē vnita corpori intelligitur: & singulis momentis tota vnio spiritualis non mutatur, sed præcisē aliqua eius portio, ea nimirum, quæ respicit minimum illud naturale, cuius particula vi natūi caloris assumitur.

41 Ceterū ne hāc satisfaciunt. Primō enim nō est, cur partes informationis inuicē non vniantur, aut cur eius spiritualitati magis obstat, vt partiū distinctarū vnio, quā earundem cum distinctione coniuncta expenetratio, quam tamen aduersarij admittunt. Deinde eadē ratione dici posset, pro numero indiuisibilium materiæ, qui quidem innumerabilis est, multiplicari in homine vniones spirituales, absq; præiudicio tamen spiritualitatis, eo quod inuicem non vniantur, ac proinde propriē non sint extensæ: vnde partes informationis non finitæ, ac pauca numero erūt, vt putant aduersarij, sed potius infinitæ. Denique quid absurdius, quam non mutatis extremis nihilominus eorum vnionem singulis momentis subito variari? At iuxta eos, quibuscum disceptamus, non mutata forma spirituali, nec minimi naturalis bona parte, adhuc earum variaretur vnio, ob particulam scilicet eius minimi, quam noxius, ac vitæ contrarius calor absumit.

42 Assertio quarta sit: in corpore naturali, atque completo est de facto inter eius partes essentialēs vnio virtualiter multiplex, siue, vt alij loquuntur, ratione ratiocinata distincta. Huius assertionis probatio non est operosa, sed potius facilis, iis suppositis, quæ assertione secunda statui: ibi enim demonstratum manet informationem, & materializationem virtualiter inter se

distinguiat in corpore quouis naturali est informatio, & materializatio, ac neutra sola, aut sine altera.

C A P V T V.

Dissoluntur argumenta quedam contra simplicitatem vnionis essentialis in corpore naturali.

Vnionem corporis naturalis, atque completi realiter simplicem non esse, sed compositam ex duabus distinctis, quarum alia se teneat ex parte materiæ, & alia, ex parte formæ censent Duran. in tert. disp. 15. q. 3. Cabrera 3. p. q. 21. a. 4. disp. 8. Montefinos 1. 2. q. 1. disp. 1. fine, Paulus Aresius lib. de gener. q. 16. c. 1. nosterque Valentin. de Herice in manuscriptis philosophicis, ac Hurtad. de Mendoza d. 5. phys. l. 7. qui plus cæteris opinionem hāc illustrauit, ac locupletauit. Pro qua prima, & potissima ratio sic habet. Vnio compositi substantialis, & naturalis in vtroque extremo recipitur, & sustentatur: vna realiter recipi nequit, aut sustentari in duobus extremis: ergo, &c.

43 Maior argumenti probatur, tum quia non est potior ratio, cur in vno, quam in alio extremorum recipitur vnio; siquidem vtrumque verē vnit, & afficit: tum etiā, quia alias vtrumque extremum non perficeret: qua ratione vnio hypostatica Verbum non perficit, quia in eo non recipitur, nec sustentatur. Minor suadet, quia vnum duntaxat extremum est sufficiens causa materialis vnus vnionis, vt cernere est in mysterio incarnationis, vbi vnio hypostatica in solo vno extremo, nimirum humanitate, tanquam in causa materiali sufficienti, & adæquata suscipitur; in Verbo verō nequaquam, quod tam exploratum est, quam quod Verbum non possit in tempore pati, aut mutari: vna igitur vnio in vtroque extremo simul, & semel suscipi nequit; aliās duas causas materiales adæquatas sibi videret, haud aliter, ac si idem candor duos parietes afficeret.

45 Respondeo: vna, eademque vnio in vtroque extremo corporis naturalis simul recipitur, vt ostensum est, capite præcedenti: cæterū ob id ea sibi non vindicat duplicem causam materiale adæquatam, quia ita ab vtraque per se ipsam essentialiter in genere causæ materialis pendet, vt sine alterutra esse nequeat etiam diuinitus: quod arguit, alterutram earum causarum materialium non esse adæquatam, ac per se sufficientem, sed potius inadæquatam, & partialem. Exemplum autem vnionis hypostaticæ solum conuincit, quodlibet extremorum causam adæquatam, & sufficientē vnionis alicuius esse posse; nimirum si vnio talis sit, quæ ab vno solum extremo in genere causæ materialis essentialiter pendeat; qualis suapte natura est vnio hypostatica; secus vero cuiuscumque vnionis, cum plures, immō pleræque vniones ab vtroque extremo in genere causæ materialis essentialiter pendeant.

46 Roges, cur potius vnio hypostatica ab vno solo extremo in genere causæ materialis essentialiter pendeat, potius quā vnio compositi substantialis naturalis? Respondeo, rationem iuxta nostra principia esse in promptu, ac satis perspicuam: namque vnio compositi substantialis naturalis ita intrinsecē afficit, & perficit vtrumque extremum, vt sine iis nullatenus fieri, aut conservari possit: quid mirum ergo, si in vtroque sustentetur? At vnio hypostatica solum humanitatem perficit, eo quod humanitas sola perfectibilis sit: Verbum autem non perficit, eo quod ratione suā infinitatis extrinsecus perfectibile non sit: qua ratione intellectio constituta in lapide eum intelligentem non denominaret, eo quod lapis intelligentiæ incapax sit: Vnde vnio hypostatica in sola humanitate, non verō in hypostasi Verbi sustentatur.

E

Recen

47 Recentiores autem aliqui vbi explicant vnionem hypostaticam Verbum non perficere, quia in eo recipitur, sanè rem potius implicant, & clarius per obscurius exponunt: quid enim sit vnionem hypostaticam non perficere Verbum, aut cur illud non perficiat, clarissimum est, vt patet ex dictis. At cur vnio hypostatica in Verbo non recipiatur obscurissimū & ignotissimum est in sententia horum Authorum: quippe qui receptionem in eo collocant, quod actio productiua formæ, aut quasi formæ receptæ sit per semet ipsam essentialiter vnio sui ad extremum, in quo forma recipitur, cui ve vnitur: quo dato non video, cur actio productiua vnionis hypostaticæ, si supponatur omnino distincta à voluntate rei non vnatur se ipsa Verbo, aut certè ei vniri non possit, ac proinde cur vnio hypostatica in Verbo non recipiatur. Quare lōgè melius econuerso explicatur vnionem non recipi in Verbo, quia illud non perficit, nec potest.

48 Hactenus prima solutio primi, ac principalis argumenti, quod fateor etiam aliter solui posse. Probabile namque censeo vnionem corporis naturalis præsertim omnino materialis in vno tantum extremorum nempe in materia recipi, non verò in forma: at hoc qua ratione defēdi possit, comodius explicabo inferius libro quarto inter agendum de causa materiali, eiusque causalitate. Interim hoc solum animaduerto Authores eius, in quo versamur, arguēti, si minus omnes, saltem non paucos censere receptionem vnionis realiter distingui ab ipsa vnione, non verò cum ea eādē esse, vt nos sentimus: quo posito falso censent vnionem perficere non posse extremum, in quo non recipitur; & quidem posse satis ostēsum manet capite præcedenti: qui hinc ergo vnio compositi substantialis, atque corporei in vno solo eius extremo recipi possit, quantumvis non vnum eius extremū, sed vtrumque perficiat.

49 Secundum argumentum aduersariorum est huiusmodi. Vnio hominis realiter duplex est, altera materialis, altera spiritalis: ergo etiam in quouis alio composito substantiali realiter duplex erit, atque composita. Consequentia videtur proba. Probatur antecedens primò, quia vnio hominis in materia, & forma simul, & semel recipitur, vt nos etiam nuper admisimus, quamuis etiam oppositum falsi simus esse non improbabile: at vnio recepta in materia materialis est, non secus ac formæ in materia receptæ eo ipso materiales sunt: & vnio recepta in forma spiritali spiritalis est: sicut enim nihil spirituale in materia recipi, aut sustentari potest, ita econuerso fieri nequit, vt aliquid materiale in forma immateriali, seu spiritali recipiatur. Secundò probatur idem antecedens, quia datur in primis vnio aliqua materialis in homine: quid exploratius? Deinde etiam in eo datur vnio spiritalis: aliqua enim in eo datur vnio, aut solam animam intrinsecè respiciens; & hæc haud dubiè erit spiritalis, aut certè respiciens intrinsecè vtrumque extremum, videlicet corpus, & animam rationalem. Et quod huiusmodi vnio sit spiritalis facile probatur: quia omnis effectus sequitur conditionē nobilioris causæ, vt cernere in conclusione Theologica, quæ supernaturalis enadit etiā ex vna præmissa naturali, & alia supernaturali deducatur: necnon in actu charitatis, qui immediatè procedēs ab habitu supernaturali, & potentia naturali, non naturalis est, sed supernaturalis: similiter ergo vnio intrinsecè, & immediatè respiciens corpus animamque; & vtroque posterior, spiritalis tamen, nō corporea euadit.

50 Respondeo: in primis permissò antecedenti, consequentia fortassis est nulla: atque esto in homine vnio realiter composita sit, non propterea in aliis compositis substantialibus id admittere cogimur: cum ratio disparitatis vtrinque manifesta sit, si cuius momenti est

argumentum positum. Sic vnio hypostatica, iuxta aduersarios, simplex est, & non composita; reliquæ contrā compositæ, & non simplices ob specialem rationē discriminis, quam inter has, & illam adinueniunt, & quam in eo positam putat, quod vnio hypostatica nec possit, nec debeat vtrumque extremum perficere, aut aut in vtroque recipi, cum interim cuius aliq vnioni essentialē sit, vt duo extrema ex æquo perficiat, & in duobus recipiatur: quidni ergo similiter, ob rationem disparitatis in argumento positam, nobis liceat vnionem hominis compositam multiplicemque permittere, & tamen cæteras omnes adstruere simplices, ac nullo modo compositas?

Deinde respondeo absolute negato antecedenti. Ad primam eius probationem dicendum est, omnem vnionem hominis materialem esse, cum in materia necessariò recipiatur: quod verò in anima immateriali etiam inadæquatè recipiatur, eam spiritalē esse non arguit: quia aliquid materiale in subiecto inadæquatè spiritali recipi potest, vt cernere est in sensationibus materialibus, quas anima rationalis recipit, alias per eas fortasse non sensura. Ratio à priori est, quia spiritalitas siue immaterialitas in independentia à materia sita est, vel certè eam tanquam passionem postulat, vt fatentur omnes: atqui materialitas econuerso in independentia spiritus sita non est: alioqui spiritalitas in ordine ad materiam, & materialitas in ordine ad spiritū, non sine vitioso circulo explicarentur: & quidem vti creaturæ non sunt independentes à primo, & perfectissimo ente nempe Deo, ita non est cur materialitas independentiā à spiritu se perfectiori velut essentiali, aut passionem sibi vendicat. Quæ cum ita sint, etsi nihil spirituale in materia recipi, vel ab ea pendere possit: cæterum econuerso aliquid materiale recipi poterit in spiritu, atque ab eo pendere.

Ad alteram probationem contrariam negati antecedentis dicendum est, vnionem humanam, esto intrinsecè respiciat, non solum materiam hominis, sed etiam animam spiritualement, non propterea huius conditionem debere sequi, neque spirituales euadere: quantumcunque conclusio Theologica, sit non naturalis, ad instar præmissæ naturalis, ex qua sequitur, sed supernaturalis more alterius præmissæ suæ supernaturalis. Ratio discriminis est, quia spiritalitas postulat, vt dictū est, independentiam à corpore, & per eam non verò per contrariam dependentiam explicatur: quamquam autem vnio humana dependeat intrinsecè à spiritu, nihilominus simul dependet à corpore humano, tanquam à causa materiali, ac proinde huius dependentiæ titulo materialis censeri debet, non verò spiritalis: cæterum supernaturalitas in eo posita est, quod aliquid sit suprā naturæ vires nullæque huius ordinis per se solas ad illud sufficiant, conclusio autē Theologica licet procedat ex vna præmissa naturali, tamē hæc sola ad eā non sufficit, sed alterū lūmē superius ad omne naturale, nempe lumen præmissæ supernaturalis, ac reuelatæ ad eā requiritur inferendam: quapropter haud poterit esse naturalis, sed potius magis est, vt sit supernaturalis.

Poriò quod statuitur in argumento, effectum sequi debere conditionem nobilioris causæ, licet aliquando verum sit, vt patet in conclusione Theologica, & aliis quibusdam effectis; semper tamen verum esse non potest, sed multoties est falsum, vt si quid vnquam: quæ admodum videre est in conclusione naturali deducta ex duabus præmissis, altera probabili, euidenti altera, & non vnus euidentiam sequente, aut sibi vendicante, sed potius alterius probabilitatem, & ineuidentiam, vt fatentur omnes. Id ipsum multis aliis confirmari posset exemplis; quæ tamen prætermitto, ne longum faciam.

CAPUT VI.

Solutio ceterorum argumentorum aduersus simplicitatem unionis essentialis in corpore naturali.

- 54 **A**rguunt tertio aduersarij. Vnio continuatiua est realiter duplex: ergo & talis est unio essentialis, qua materia, & forma neuntur. Consequentia videtur perspicua. Suadetur antecedens, quia unio continuatiua partium materiae v.g. in vtraque ex aequo recipitur: non est enim potior ratio, cur in vna potius, quam in alia recipiatur, nec vna habet aliquid praeter aliam, ratione cuius subiectum unionis esse debeat. Atqui eadem indiuisibilis unio materialis in vtraque parte materiae esse non potest; alias in diuersis locis esset, quod tamen solum spirituum perfectio est, & rerum materialium conditionem exuperat: unio igitur partium materiae nequit esse simplex, ac realiter indiuisibilis.
- 55 Respondeo in primis; quamuis permittatur unio continuatiua realiter duplex, & composita, inde tamen perperam argui ad reliquas uniones, videlicet ob rationem disparitatis in argumento adductam. Deinde respondeo, unionem continuatiuam esse posse simplicem, & indiuisibilem. Ad rationem vero oppositam dicendum est, eiusmodi unionem in vno solo extremo eorum, quae continuantur recipi, in eo nimirum, cum quo penetratur, in alio vero cuius locum non occupat, haud recipi, sed eam velut terminum merè extrinsecum respicere: nec mirum, quia ut unio se ipsa in aliquo recipiatur extremo, non tantum opus est ei ita illam affigi, ut sine eo fieri, aut conseruari nequeat, sed ulterius requiritur, ut extra eius locum non sit, aut certè naturaliter esse non possit. Porro cum possibilis sit unio partium materiae, quae in parte A. v.g. recipiatur, eique penetratur, & partem B. tantum extrinsecè respiciat: necnon alia unio, quae easdem partes non eodem, sed diuerso, & contrario ordine respiciat, certè qualis earum unionum de facto existat à determinatione, & arbitrio solius causae primae dependebit.
- 56 Rursum in sententia asserente formas materiales viuientium saltem perfectorum indiuisibiles esse, & indiuisibiliter omnes materiae partes à se animatas informare, & cum iis penetrari, dicendum est ad rationem oppositam, in qua versamur, non esse similiter, cur unio partium materiae occupare non possit vtriusque locum, ac proinde maiorem, quam alterutra, sicut oportet ad eius receptionem in vtroque, vtriusque ad instar vtriusque sit materialis. Praeterea in eorum opinione, qui continuum ex punctis, siue indiuisibilibus extensis quoad locum constitui docent, quid vetat, unionem continuatiuam in vtroque puncto continuato receptam cum vtroque penetrari posse? Quamuis enim ita cum iis penetratur, non propterea maiorem, quam alterutrum eorum, locum obtinebit; quia scilicet non totum vtriusque spatium, sed eius dimidium occupabit.
- 57 Haecenus dicta ad rationem contrariam supponunt, unionem continuatiuam in aliquo saltem extremo oportere recipi. Enimvero si praefata unio sit punctum, aut aliud indiuisibile, ut communius existimant Philosophi, non vero forma modalis extensa pro extensione partium, quas vnit, longè quidem verius est, cum neutro suorum extremorum eam penetrari, sed vtrumque localiter interiacere, ac proinde, nec in vno, nec in altero illam recipi: quippe, quae pars quaedam est continui: de quo inferius libro se-

R. P. Richardi Lyncei, Philosophia, Tom. II.

quenti. Itaque tantum abest, ut in vniione continuatiua sit specialis ratio, ob quam realiter duplex sit, ut potius sit specialis ratio, ob quam ea praeter reliquis sit simplex, si (quod suppositis plurium Philosophorum principiis, necessario sequitur) in extremis ea non recipitur, more reliquarum unionum: ex receptione enim unionis in extremis colligi solet eius duplicitas, & ex non receptione simplicitas. Quae, cum ita sint, patet quam imbelles sit argumentum ab vniione continuatiua ad alias, quae dici consuevere essentialis, & informativae.

Quarto argumentantur aduersarij hoc pacto. In sententia distinguente relationem praedicamentalem à fundamento, & termino, vnus modus vtrumque extremum mutuo, & reciproce referre nequit, duoque realiter distincti requiruntur: cum igitur relatio unionis essentialis partium corporis naturalis ab iis realiter adequatè distinguatur, sanè non vna, sed multiplex realiter esse debet. Respondeo admissio antecedenti, & negata consequentia: quia extrema relationis praedicamentalis loco, & tempore distare possunt: aliunde verò modus praedicamentalis, per quem referuntur inuicem in opposita sententia vtrique intrinsecus esse debet: eo autem ipso, quod vnus, & indiuisibilis esset, intrinsecus esse nequireret simul, & semel extremis tempore, & loco distantibus: quare realiter multiplex esse debet: quae ratio in vniione, physica non procedit, quippe quae inter extrema loco, & tempore indistantia, necessario versatur.

Quod si extrema relationis praedicamentalis tempore, & loco seiungi non possent, sed potius vtraque ratione sint necessarid indistantia, ut cum modus aliquis v.g. vbicatio pro eo, ac aliqui putant, ad rem cuius est modus: praedicamentally referretur, & econtrario; tunc sane non video, cur relatio praedicamentalis, quamuis ab vtroque extremo realiter adequatè distinguatur, ob id realiter multiplex, & composita esse debeat, aut simplex esse non possit. Dici etiam potest, & non improbabiler nec in hoc posteriori euentu modum relationis praedicamentalis realiter simplicem esse non posse, quia alias esset unio extremorum, vtpote qui vtrique extremo per se ipsum intrinsecè vniretur: at relationem praedicamentalem esse unionem rei, & modi, siue rem, & modum alia vniione distincta vniri nullo modo sustineri potest.

Arguunt aduersarij quintò. Plus, aut certè non minus requiritur, ut duae res absolutae vniantur quam ad hoc ut vniantur res, & modus: cum illae seipsis sint inuicem affixae, atque annexae, res verò & modus ita comparentur, ut altera alteri essentialiter non affigatur, neque annectatur, sed potius ab altero sit separabilis. Atqui res & modus duplici vniione vniantur: ergo à fortiori duae res absolutae, quales sunt materia, & forma, cui subiacer, geminam, ut vniantur, unionem postulant. Maior est in aperto. Minor probatur: quia in primis modus seipso rei vnitur, quae est natura & conditio modi: deinde res vnitur modo per unionem à modo distinctam: siquidem per ipsum modum modo nequit vniri, alias per modum ad ipsum modum realiter referretur, cum vniri realiter alteri sit ad illud realiter referri: ac proinde relatio realis à termino suo minimè distingueretur realiter, quod tamen est planè falsum.

Verum nè in hoc argumento plus est quam in praecedentibus momentis: aut enim nihil probat, aut certè quod detur in vniionib. processus in infinitum: namque unio illa rei cum modo, v.g. intellectus cum intellectu, (quam demus esse entitatem modalem) modus rei est: alia ergò vniione ei vnitur: deinde & tertia unio modus

E 2

etiam